

SVEVIA ET BAVARIA

Nulla natio in Germania tam diu retinuit nomen suum ut Sueui, quippe qui longe fuerunt ante Saxones, Francones & Bauaros. Patuit etiam Sueuia olim latissime, ut comprehenderit Brisgoiam, Nigram syluam, Hegoiam, Eregoiam usq; Tigurū, lacum Podamicum, Algoiam, Lechgoiam, Vindeliciam, Vuirtenbergum, Kreichgoiam, Marcam Badensem & Rhetiam quæ est circa Norlingen. Est autem Regio ipsa partim plana & partim montuosa, & satis fertilis, in plerisque etiam locis, potissimum iuxta Neccarum fluuium, uinum proferens. Nihil est in ea ociosum, nisi quod paludes & syluæ occupant. Habet autem multas syluas & frequētem uenationem, abundat & pecoribus, præsertim in Nigra sylua. Sunt in ea plurima oppida, uillæ & uici, sed & arces, natura & arte munitæ, præsertim in Hegoia sunt arces quales in uniuersa Germania non inueniuntur, in tam editissimis & præcipitibus sitæ montibus, quæ ueluti propugnacula sunt totius Sueuiæ. In Sueuia oritur celeberrimus totius Europæ fluuius, Danubius, cuius fontem diligenter in hac signaui tabula. Habuit Sueuorum natio à Caroli magni temporibus proprium ducē. De hoc enim Carolo legimus, quod duxerit uxorem filiam Gotfridi ducis Sueuorum, mansitq; aliquandiu ducatus apud posteritatē eius. Postea uarij generis habuit duces, ex quibus Hermannus anno Christi 948. dedit unicam filiam suam Ludolpho Ottonis primi imperatoris filio. Et cū Ludolphus iste absq; hærede hinc migraret, habuit Sueuię ducatus successiue multos & uarios dominos, nempe Ottonem à Suuinfurd, Rudolphum à Rinfelden, Bertholdum à Zeringen. Pulso Bertholdo Imperator Hæricus quartus tradidit ducatum genero suo Friderico à Stauffen. Hic Fridericus duos habuit filios, Conradum, qui factus est Romanorum rex, & Fridericum qui patri in ducatu successit, Fridericus duos habuit filios, Conradum qui factus est Comes Palatinus, & Fridericū qui factus est imperator & retinuit quoq; ducatum, Hic fuit Fridericus primus, cognominatus Barbarossa, & habuit filium Henricū successorē in imperio & ducatu, & hic ducēs uxore filia regis Sicilia, factus est per eam rex utriusq; Sicilia. Cui successit filius eius imperator Fridericus secundus, rex Sicilia & Sueuiæ. Is autē reliquit duos filios, Cōradum & Henricū. Cōradus electus in Romanorum regem genuit Cōradinum. Alij uero dicunt Cōradinum fuisse Henrici filium, fuitq; is Cōradinus ultimus Sueuię dux & legitimus heres utriusq; Sicilia. Cumq; in Italiā proficisceretur, ut auitum Sicilia regnum possideret, nullas insidias suspicatus, subito captus & contemptim circumductus, tandemq; innocenter occisus est à Carolo duce fratre regis Fraciæ, cui ut scribūt Ro. pontifex præter omnē equitatē tradiderat Sicilia regnū, factus innocentis sanguinis traditor. Cōtigerunt autē hæc anno Christi 1267. Quo tempore defecit nobilis ducatus Sueuię, nec dux aliquis in ea regione cum titulo isto surrexit, quanquā Rudolphus ab Habsburg & quidā filiorum eius conati fuerint sib usurpare hunc titulum, sed quem diu retinere nequuerunt. Abolito itaq; ducatu Sueuię, comites à Vuirtenberg præ ceteris comitibus quorum plures fuerunt in Sueuia, inualuerunt & plurima loca ex ducatu acquisierunt, donec tandē nostro uero Comes Eberhardus sublimatus est in ducē Vuirtenbergensem & Teckenensem à Cesare Maximiliano in comitijs Vuormaciensibus anno Christi 1495.

B A V A R I A.

Hęc regio olim Noricū & deinde Baioaria fuit appellata, extenditurq; in Austrū usq; ad Alpes, ab occasu uero terminatur ad Licum fluuiū, & à septentrione ad Danubiū & nonnihil ultra, ad Bohemicā scilicet usq; syluam. Profert ea regio magnā copiā frumenti, uinum uero in paucis crescit locis. Abundat salis fontibus, unde magnum colligitur ab incolis emolumentū. In Norico iuxta syluam Bohemicam fre-